

Mansit autem idem castellum pluchritudine et ^{o)} fortitudine precipuum usque ad imperatorem Ottonem ⁸⁾ primum. Huius germanus Bruno Coloniensis ecclesie archiepiscopus a beato Severino vicesimus quartus simul cum tanta nobilitate morum quoque probitate et insigni pietate
 5 preclarus, fregit illud, fratris sui iam dicti imperatoris iram que futura erat non veritus, quę adeo vehemens fuisse fertur, ut eum ad reedificandum compelleret nimis invitum, nisi idem imperator cita fuisset morte preventus ¹⁾. Sextus ab illo videlicet Brunone beatę memorię archiepiscopo sanctus Heribertus taliter, ut supra dictum est, Domino
 10 consecravit idem oppidum, immo ruinosi (ut ita dicam) fragmenta oppidi construendo in medio eius cenobium Deo in honore domine nostrę sanctę Marię perpetuę virginis, totumque ad hoc opus locum sic emundavit, ut nullam secularium habitationem in eo ^{o')} relinqueret ²⁾, dans illis, quos inde excedere iussit, foris habitacula muro extrinsecus
 15 contigua, sicut hodieque ^{p)} noverunt et testantur quam plurimi et maxime ipsorum posterī, tenentes easdem domos beneficiales ad huius ecclesię ius dominationemque ^{q)} respicientes.

9 Debuerat igitur iuxta sacrę legis edictum supra memoratum ³⁾ sanctum esse Domino totum castelli huius spatium, id est nullam pati
 20 communium sive secularium rerum contaminationem, qualem vidimus et audivimus in plerisque locis magnum sepius attulisse offendiculum sive scandalum fratribus Deo sacratis et propositam debentibus religionis monasticę puritatem. Fere usque ad nostra tempora perseveraverat ^{a)}, sicut scitis, huic monasterio vestigium aliquod ^{b)} iuris antiqui, ita ut
 25 claves huius castelli nullo contradicente haberet prior sive prepositus monasterii et claușę tota nocte non aperirentur portę usque ad diem hora competenti. Nunc autem longa predecessorum nostrorum ⁴⁾ negligentia, dum secularibus ^{c)} sese ^{d)} nimis accomodant, tantam aluit licentiam, ut illud propheticum dicere nobis conveniat, presertim quibus
 30 optabilis est et grata religio quique bono zelo zelamur pro Domino: *Hereditas nostra versa est ad alienos, domus nostra ad extraneos* ⁵⁾. Castellum quippe occupaverunt et non tantum tures et interturria sibi ad inhabitandum reparaverunt homines honesti quidem secundum seculum, verum etiam subterturria ⁶⁾, quę dicunt cellaria, quasi specus

^{o)} et *fehlt B* ^{o')} ea *ABJM* ^{p)} hodie *AJM* ^{q)} dampnationemque *B*

9 ^{a)} perseverarat *AJM* ^{b)} aliquot *B* ^{c)} secularibus *fehlt B* ^{d)} se *B*

¹⁾ *S. o. S. 401 f.* ²⁾ *Vgl. Urkunde Eb. Heriberts, s. o. S. 403 f.* ³⁾ *c. 8 mit Anm. 1 und 2* ⁴⁾ *S. o. S. 407 f.* ⁵⁾ *Thren 5, 2* ⁶⁾ *S. o. S. 404 mit Anm. 37; dazu A am Rand: vestigia nunc etiam cernuntur (1573)*